



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 127. Fleuit amare. v. 75.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

mor infirmitatis suæ ne forte tentatus rursus, relaberetur, & licet serò, quæ sit secretum, qui male versatus erat in luce & publico. Ergo si vis sinceram agere penitentiam, si vis flere commissa peccata cum fructu, debes egredi foras, relinquere debes malam societatem, fugere occasiones peccandi, saltem proximas, nec redire, sed secedere à turba, à mundi vanitatibus & voluptatibus tibi vacare & Deo in secreto pectoris & cubili saltem ad tempus donec vocatione Dei vel tuorum superiorum voluntate, aut officii tui regula reuocaris ad publicum: tunc senties cordis contritionem veram, salutaris lacrimarum fontes ex oculis & corde scaturientes, & gratiam & misericordiam Dei, hanc viam & secessum tibi monstrat, & præscribit Petrus suo exemplo.

O Cœlestis Rex & dominator omnium, benigne redemptor, Petrus hic tactus dolore cordis & confusione, super trina negatione tui, ferre non potest aspectum tuum, abit ut pleret, ut lugeat peccata sua, deserit atrium & quærit tugurium, fugit amaranum locum & vanitatibus plenum, & intat specum horridam & tenebrosam? Quid faciam ego miser peccator infirmus & imbecillitate oppressus, qui quæ à perfectione Petri & quam tu desideras adhuc longissime absum? Conscientia enim mea quotidie me accusat, & singulis momentis experior, nullam esse in me sanitatem. Te offendo fere sine intermissione, omnes fere cogitationes verba & opera, quæ absque tua singulari gratia facio, ad malum sunt inclinata, peccata mea etiam tot sunt & tam graua, quibus iram tuam commerui, ut animæ meæ jam dudum in abyssum inferni & perditionis fuisset migrandum, nisi tu me auxilio tuo sustinuisset. Auxiliare magis & clemens & mitis, ô cœlestis pater, qui neminem vis perire, sed omnes saluos facere, aufer à me peruersum huius mundi amorem & carnis concupiscentiam, ingere cordi meo confusionem peccatorum, & ardens gratiæ tuæ largire desiderium, & si possibile est egrediar atrium mûdi peruersum, & ingrediar locum solitudinis, deuotum, quietum, ut ibi desceam hoc ipsum, quod huc usque iusto ex delictis meis dolore non sum compunctus: aut quando iam ille exitus mihi est præclusus ratione status vel ætatis, saltem quotannis semel sacro Quadragesimæ, aut Aduentus Dominici tempore, me accuratius recolligam: vel per exercitia spiritualia cum consilio confessorij in domo religiosâ, vel menstruè ultimo die mensis, vel quot septimanis die sabbati, aliqua hora recogitem tempus elapsum, imò iudices ad vespèram per conscientiæ examen me ipsum respiciam.

§. 127. *Fleuit amare. v. 75.*

Quia ab oculis Christi oculi Petri vel cor eius vulnerata erant, ideo & accele-

acceleratæ fuerunt eius lacrymæ, & illico ad se redijt: ita electicum labuntur eadem præventi gratia citò ad se redeunt, uti & equus generosus, qui à cespitatione fortuita illico se colligit & quasi verbera metuens exilite cautiorque incedit. plane ita, plane Petrus lapsus unico nutu Dei semel ab eo respectus, ad eò conuersus est, & tanta cum celeritate ab omni perturbatione, tam fortiter sese conuertit ad Deum, ut is enim reciperet in amicitiam, peccatum remitteret, & in amore multo amplius stabiliret.

Olesi benignissimè quàm felices sunt illi, quos ita respiciunt oculi tui, quos sic micantibus illustras radijs diuinæ lucis tuæ, ut & fundum suum perspicere & vitia sua agnoscere queant, quam citò illi conuertuntur quam celeriter frigida illa & dura corda emollescunt, accenduntur, amore liquecunt & fluunt lacrimis: quæquæ antea à peccatis abstinere non poterant, jam corde conuerso clamant, peccavi Domine, miserere, peccavi Domine quid me vis facere? Certe mirum non fuit lugere Petrum amarè magis autem mirandum non creuisse præ angustia & tremore cor illius, cum Dominus de tecto eius fundo suæ eum peccata fecit intueri, cernereque quantum dilecto suo Magistro contemptum & iniuriam interrogasset. O qui sic vel semel suum pelleret fundum conscientia perspicere. Iesu bone, mihi maximo peccatori hanc gratiam concede, ut & cum Petro lacrimarum calidarum fontes ob peccata ex oculis cordis & corporis uberrim scaturiant, ut & cum Petro merear gaudere in die resurrectionis corporum, quod hic in terris fleuerim amare, fleuerim amore, & criminum meorum maculas expurgatum.

CAP. XXVII.

5. 128. *Mane autem factò. v. 1.*

Quæ huc usque contemplati fuimus, nocte illa tristi tenebrosa & amara valde, quæ præcessit parasceuen, facta sunt, nunc illucescit dies, dies sæculi, dies tam diu desideratus, in quo reparandum erat genus humanum, de vincenda mors, coercendus infernus, cælum aperiendum princeps mundi acie & prælio magno prosterneendus, & scripturæ implendæ. Hic est enim ille dies, quem ante multa sæcula videre desiderauit Abraham, cum omnibus credentibus. imo hic est dies, quem etiam ipse Christus desiderio desiderauit. denique hic est ille dies quem principes Iudæorum auide expectabant, sed valde dissimiliter, Abraham cum fidelibus, ut à Christo redimerentur, Christus ut eos redimeret, Iudæi ut Christum perderent.

K. 3.

O lesa.